Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 537
Quelle:
Copyright:

cariis ecclesie majoris wormacien. Amico et sociis suis carissimis. Ad *Rhenum* natus erat *Rudesheimii Rudolphus* a Sede *Lavantina* ad *Wratislaviensem* translatus a. 1468. Inde, ut videtur, haec cum *Wormatiensibus* consuetudo. Argumentum porro Literarum, quarum initium: *Quantos labores solicitudinem atque curam* &c. molestiae in legatione sua exantlatae, spes in *Matthia Hungariae* Rege, quem *ob ipsius amplas virtutes et merita ipsa die Inuencionis sancte Crucis 3ª Maij in ecclesia Olomucen. premissis Missarum solemniis de spiritu sancto celebratarum ipso inspirante concorditer et vnanimiter in regem bohemie elegimus*, Consensus *Moravorum*, Catholicorum Baronum *Bohemiae*, *Silesiorum* et utriusque *Lusatiae* in hanc electionem, *Matthiae* ipsius confidentia, *quod illustrissimi principes domini electores Imperii ceterique duces principes prelati populique catholici nacionis nostre ad extirpandam funditus huiusmodi heresin sue celsitudini velint et dignabuntur assistere.* Finis: *Hec noua vos domine decane cum sincera commendacione nostra Illustrissimo domino* (Friderico Victorioso) *Comiti palatino Reni duci bauarie Principi Electori Imperii, Reuerendis patribus dominis Wormacien. et Spiren. scribere et copiam litere nostre transmittere. Similiter et dominis de Capitulo wormac. domine abbatisse in Nonnenmunster* (O. Cist.) *Priori et patribus kyrsgarten.* (O. Can. Reg. S. Aug.) *ceterisque dominis et fautoribus nostris significare. Ipsosque in kyrsgarten et Nonnenmonster hortari uelitis, quatenus omnipotentem deum orent, vt quantocius hec labes et heresis hussytica penitus exterminetur et cesset. Datum in Olomuncz VI. Maii Anno domini* MCCCCLXIX. De rerum successu haec in *Nic. Henelii Annalib. Siles.* T. II. *Sommersberg.* p. 349. *Quod Calicis usum permittere Bojemis Mathias nollet, mox eo repudiato Wladislaus Casimiri Poloni Major natu Filius, Georgio* (Podiebrado) *non usque adeo invito, sed ut hic ad Mortem usque Regnum retineret, subrogatur. Tametsi vero Regno Bojemiae Mathias potitus non est, Titulum tamen ejus retinuit, nec Moraviae solum sed Silesiae, quoad vixit, Dominus fuit. Lusatiam neutram a Bojemia descivisse, nec unquam Mathiam Dominum agnovisse Auctor est Casp. Peucerus Chron. L. V. cui vix est, ut hac quidem in re assentiri possim.* Recte; nam et Noster ait: *Lusacya denique superior et inferior* (Matthiam) *in regem gratanter et sponte recipiunt.* De *Rudolpho* Ep. adi T. mox *cit.* p. 170. 195. T. III. p. 16. Hactenus egregius *Codex.*

CLXXXIII. VI. J. 3.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 185. 8. currente calamo scriptus et olim *Wenc. Rossae* 806